



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fidvcia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Apostolis à Christo pisces prouisi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

4 Reg.
8.1.

Neque toti tantum ciuitati prouisum est, sed etiam exiguae mulieri, ad quam Elias dixit: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicunque repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram, septem annis. Quae surrexit, & fecit iuxta praeceptum hominis Dei: & vadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philistym diebus multis.* Curauit utique haec mulier familiam, sed vna etiam à coelo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, vbi aleretur. Quod quidem apertis verbis Propheta huic mulierculae antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestionē, indicat Deus, ut locum mutent, & migrent aliò, vbi eos vult sustentare; qui si ibi manerent, vnde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent perituri.

§. V

Apostolis à Christo pisces prouisi

Luc. 5, 5.

Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quærerent, cum retia in vndas jactarent & piscarentur, nonne à Domino aduti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Et respondens Simon dixit illi: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem*

autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc fecissent, con-
cluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, ut venirent, & ad-
juuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita ut penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam coeperant. Post resurrectionem quoque, stans in littore, Apostolis, qui iterum tota nocte ceperunt nihil, dixit: *Mit-
tite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Mi-
serunt ergo, & iam non valebant illud trahere, præ multitudine piscium.* Laborantibus igitur, & pro victu sollicitis succurrit, & quasi manum porrexit. Quin postquam descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem; & dixit IESVS: *Venite, prandete.* En cocum factum! en factum piscatorem, in gratiam piscatorum! Aut enim piscem, prunis postea superpositum, manu sua è mari extraxit, aut creauit, & piscem utique magnum, qui tot famelicis piscatoribus sufficeret, saturandis.

IOHANNES
21. 6.

§. VI.

Pauperibus, in Natali Christi, epulum, & quæ ad illud pertinebant, mira dispositione Dei, & Francisci à Puerò IESV paratum.

Ioseph. à Iesu Maria de vita Francisci à Puer. Iesu. c. 5. 6. lib. 1.

Possent hîc innumera alia exempla afferri. Vnum non prætermittam valde recens, quod in historia vitæ ac virtutum Venerabilis Fr. Francisci à Puerò IESV Carmelitæ discalceati R. P. F. Ioseph à Iesu Maria, item Carmelita Discalceatus refert, Franciscum scilicet à Puerò IESV, inter multa pietatis exercitia, in die Natali eius, Equitatu & militiæ IESV (ita pauperes vocabat) commune instruere solitum epulum, quo non solum Complutenses, verum etiã totius prouinciæ pauperes, modò factæ in eam diem confessionis schedulam testem ostenderent, excipiebat. Aliquot antè diebus religiosissimo candore Paruulum suum conueniebat, eique narrabat, se pauperibus festiuam mensam, in illius honorem, promississe: illius partes esse vigilare, vt creditoribus sumptum suppeditantibus satisfaciat. Eiusmodi oratione facta, omnem deinceps cogitatum suum in Dominum iactabat. Minimùm veruecibus triginta, bobus duobus,